



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Quarta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

Deo facere potuerant si toleranter ferre incommoda ingruentia voluissent. Sed heu! *Viri divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Struthio, crassum & stupidum animal, alas habet, sed non subvolat. Habuere isti alas, quibus in cælum evolarent: in fabulo ac cœno hære maluerunt. Hoc Infidelibus exprobrabat. Augustinus lib. 1. de Civitate: *Perdidistis utilitatem calamitatis, & miserrimi facti estis, & pessimi permanistis.* Salvianus, libro 7. de Providentia, idem de ætatis suæ hominibus conquerabatur: *Quid hoc mali est? Iumenta & pecudes sectione curantur: nos nec cauterii adustione, nec ferri desectione curamur, imò, quod pejus est, curâ ipsa deteriores sumus.*

VI. *Quarta.* Inde sensim ad majus longè infortunium delabuntur, ut quemadmodum à medico ægri insanabiles, ita ipsi à Deo deserantur, & dimittantur secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Doctus fessor equo domando franos, camos, calcaria, virgas,

virgas, compedes, quidlibet denique adhibuit incassum: quid superest, nisi ut præcipitem abire patratur? Pueris efformandis quantam oporteat adhibere diligentiam, nôrunt parentes & magistri: clamandum, instandum, nunc minis, nunc promissis, nunc honoris invitamento, nunc metûs stimulo. Posteaquam incassum infrunito adolescentulo impensa sunt omnia: magister denique, aut parens, operam perdere desinet, & immorigerum relinquet sibi. Eum in modum Deus acturum se affirmat, Jeremiæ cap. 2. *Super quo percutiam vos ultra, addentes prevaricationem . . . Frustra percussi filios, disciplinam non receperunt.* Simili causâ & formulâ, Ezechielis cap. 16. Deus ait futurum, ut ultrâ non irascatur. Famulum neque imperiis, nec probris, nec verberibus obtemperantem herus domo ejiciet, nec recipiet ampliùs, nisi desipiet. Eodem modo cum Judæis Deum egisse, dicit Cyprianus, Oratione 3. contra Judæos. Apud Amos Prophetam cap. 7. Locustæ famem, Ignis pestem, Trulla bellum, flagella

gella tria, aliud ex alio Israëlitis immiffa, indicant. Cæmentarius deinde, de inducendo muro desperans, *Ponam, inquit, trullam in medio populi mei Israëel, non addam ut superinducam eum.* Cur autem de populi istius emendatione desperatur? Causam habes cap. 6. ubi tempore pestis nolunt sibi de Providentia Dei fieri mentionem: *Tace, inquit, & non recorderis nominis Domini.* Deposita est illorum curatio, qui curari à Deo nolunt.

VII. *Ultimum exitium.* Quid autem de ejusmodi hominibus, à Deo desertis, expectandum est, nisi extrema perniciēs?

Vae eis, inquit Deus, Osee cap. 9. cum recessero ab eis. Recedente salute, salus sperari non potest. Luce vitæque abeunte, nil præter mortis umbram & caliginem expectari debet. Deseri à Deo homines, prosperitate & bonis caducis immodicè abutentes, non equidem ita dolendum est: receperint bona in vita sua; in altera crucientur. At infælicitatem tam infæliciter à quibusdam hominibus excipi, ut ideò divina ope destitui mereantur, quis